

DE BELLO CIVILI LIB. I

consulum, necessarii Pompei atque eorum qui veteres inimicitias cum Caesare gerebant in senatum coguntur; quorum 5 vocibus et concursu terroristur infirmiores, dubii confirmantur, plerisque vero libere decernendi potestas eripitur. Polli- 6 5 cetur L. Piso censor sese iturum ad Caesarem, item L. Roscius praetor, qui de his rebus eum doceant; sex dies ad eam rem conficiendam spati postulant. Dicuntur etiam 7 ab non nullis sententiae, ut legati ad Caesarem mittantur qui voluntatem senatus ei proponant.

10 Omnibus his resistitur omnibusque oratio consulis, 4 Scipionis, Catonis opponitur. Catonem veteres inimicitiae Caesaris incitant et dolor repulsae. Lentulus aeris alieni 2 magnitudine et spe exercitus ac provinciarum et regum appellandorum largitionibus movetur seque alterum fore 15 Sullam inter suos gloriatur, ad quem summa imperi redeat. Scipionem eadem spes provinciae atque exercituum impellit, 3 quos se pro necessitudine partitum cum Pompeio arbitratur, simul iudiciorum metus, adulatio atque ostentatio sui et potentium, qui in re publica iudiciisque tum plurimum 20 pollebant. Ipse Pompeius, ab inimicis Caesaris incitatus 4 et quod neminem dignitate secum exaequari volebat, totum se ab eius amicitia averterat et cum communibus inimicis in gratiam redierat, quorum ipse maximam partem illo adfinitatis tempore iniunxerat Caesari; simul infamia dua- 5 25 rum legionum permotus, quas ab itinere Asiae Syriaeque ad suam potentiam dominatumque converterat, rem ad arma deduci studebat.

His de causis aguntur omnia raptim atque turbate. Nec 5 docendi Caesaris propinquus eius spatium datur nec tribunis 30 plebis sui periculi deprecandi neque etiam extremi iuris intercessione retinendi, quod L. Sulla reliquerat, facultas